CLARISSIMO, SPECTATISSIMO,

LITTERATISSIMOQUE VIRO

D. D. JOANNI-BAPTISTÆ-LUDOVICO

CHOMEL,

CONSILIARIO, MEDICO REGIS ORDINARIO VETERANO,

SALUBERRIMÆ FACULTATIS PARISIENSIS

DOCTORI-REGENTI ET ANTIQUO DECANO,

REGII MEDICORUM NANCEIANORUM COLLEGII

SOCIO HONORARIO,

CLINICO FELICISSIMO,

PLURIMÙM COLENDISSIMO SIBI AMICO,

Ad ſummos Regentiæ honores accedens, in publicum amoris pignus & grati animi monumentum, hoc ſuum qualecumque Opuſculum

DICAT, VOVET, CONSECRAT,

Benè memor Collega recens,

JOSEPHUS PHILIP, Doctor Medicus Pariſienſis, Actûs Præſes.



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,

manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-nonâ mensis Novembris, anno Domini M. DCC. LXIV.

M. JOSEPHO PHILIP,

Doctore Medico, Præside.

An corporis balsamum, Bilis?

I.



EX variis, multiplicibusque humanum corpus alluentibus fluidis, nullum, bile magis, physicorum exercuit ingenia. Ab antiquis plurimis, notæ licèt non infimioris, ad secundæ coctionis quisquilias demissa bilis, statim à suo in intestinalem fistulam effluvio per alvum à corpore turpis exulabat. Sic naturalis instar clysteris propriâ acrimoniâ & mordacitate, ad fecalium interfluentium substantiarum expulsionem, intestina irritandi facultatem vix retinens, omni usu, præter desidendi proritationem, exauctorata diù viluit. Hanc à dedecoris notâ, inhonestâque conditione vindi-

eantes quidam recentiores, quorum antesignanus HELMONTIUS, bilem non simplex excrementum, sed utilissimum recrementum esse probaverunt; supremisque laudibus bilem prædicarunt *corporis balsamum*, *sanguinis condimentum*, *incendii vitalis escam*, *spirituum materiem*, *florem sanguinis*, *balsamum sine quo corpus salvum esse non possit.* Chyloseos negotio dein addicta bilis, *attenuare*, *resolvere*, *abstergere*, *fibras motrices stimulare*, *diversissima quæque permiscere*, *acria salina obtundere*, *coagulata dividere*, *vias expedire chylo*, *appetitum excitare*, *fermenti vicem gerere*, *cruda coctis assimilare* valuit, tantis hactenùs quidem non impar muniis. At procelloso mari quasi commissa novos adhuc vehementioresque patitur fluctuum insultus. Quæ suo apud veteres defraudata jure, ignota saltem languebat, nostris è contra temporibus deblaterantium contumeliis criminationibusque lacessita, fortunam sortita est adeò pejorem ut pristinam doleat obscuritatem. Cujuscumque ingruentis mali fons & origo, vel conscia concomitansque causa protinùs arguitur bilis. Hinc adustam, acriorem, porraceam, æruginosam, exasperatam bilem undique clamitant, quam uberrimo rivo citò citiùs eliminandam impatientèr judicant & prosequuntur. Ab istorum opinione prorsùs devii in Helmontianam propendentes, bilisque patrocinium suscipere non dubitantes, illud dicimus *corporis balsamum* quod non solùm à putredine corpus vindicat, sed etiam optimæ conducit valetudini, corporique robur potissimùm impertitur.

I I.

PRETIOSO cujusdam arboris succo, condiendis olim cadaveribus utilissimo, *Balsami* nomen primò inditum esse neminem fugit. Liquores (nativi vel arte confecti) magno pretio, multiplici virtute, mirandâ effectuum præstantiâ & celebritate aliis supereminentes, metaphoricâ & extensiori significatione, cum substantiâ à putredine ipsamet vindicante cadavera, commune deinceps acceperunt nomen. Hæc exinde vox *balsamum*, cujus propriam & verâm frustrà quæsivimus etymologiam, nostris idem sonat auribus ac *Liquor per excellentiam*, cui scilicet feracissimum auxilii promtuarium, præsentissimum salutis & vitæ præsidium essentialitèr inhæret. Nonne igitur eodem nomine salutandum erit illud tutelæ genus à benè providâ naturâ humano corpori peculiaritèr concessum, proximis illius ruinam minitantibus causis, edomandis assiduò prospiciens, & sine quo nec sanitas, nec vita datur? Et verùm reciproca fluidorum & solidorum actio quæ *causa vitæ* celebratur, *causam mortis* non minùs invo-

cat. Subtilior insuper infensiorque latet anguis, illud nempè putredinis seminarium quò solida jugitèr collisa, fœdataque fluidorum moles, promiscuè dissoluta brevì corruerent, nisi præstò indefinentèr esset corruptelæ vindex & ἀντίδοτος: adeò ut nusquàm veriùs quàm de μικροκοσμῷ dici potuerit duo supponi principia, malum scilicet & bonum, quibus concurrentibus cuncta vicissim reguntur & gubernantur. Nec malum illud principium quod putredini præesse indicamus, ens rationis, merumque habeatur imaginationis ludibrium, quippe quod, humidâ & calidâ aëris temperie, austrino perflante vento, epidemiâ grassante, vel levissimâ humorum stagnatione, summa istorum ad putredinem insita proclivitas, sui juris facta, satis superque demonstretur. Bonum autem principium putredini semper adversans illud est quod *corporis balsamum* nominamus; cum virtutum multiplicitate, functionumque præstantiâ cæteris planè antecellat. Illud verò ne quæsieris, nisi in humore qui aliis intimè mixtus humoribus, simulque ad minima vasorum diverticula perenni progrediens circuitu, beneficum rorem undique diffundat, tenuissima fibrarum stamina quasi titillando, debitas excitet oscillationes, tandemque intestino fluidorum motui sic inserviat, ut progressivus eorumdem motus æquabilior expeditiorque servetur.

III.

QUÆNAM corporis functio præ cæteris principatum obtineat, adhuc sub judice lis est. Mutuas enim adeò sibi fœnerantur operas, ut nullam alteri secundam arguere liceat; in hoc, ut aïunt, non absimiles circulo, cujus puncta, quotquot sint, continuâ serie sibi adjacent, singulorumque positionis ordinem, initium & finem oculatissimos celant. Contrarium esto judicium de humoribus quos experientiæ, observationi, analysi etiam, ad nutum subjicere, sigillatìm expendere, alios aliis conferre & æstimare quemque penès est. Non igitur ardua nec in lubrico posita erit solutio quæstionis, quis humorum aliis præstet & eniteat? Illi namque palma meritò concedenda, quem constituentium principiorum energiâ vigentem, ad majores habiliorem usus, plures sibi faventem experiuntur functiones. His insignitus humor caracteribus, humorum princeps ideò renuntiandus, ipse erit qui in arcendâ putredine alios longè superans, optimæ sanitati præsertim consulens, ad sublimiorem *balsami* dignitatem propiùs accedet. Quisnam verò sit humor de quo agitur, hactenùs ambigis? Rem penitiùs introspicias, conditionesque in humorum principe requisitas æquâ lance ponderes. In principiis constituentibus, quorum scilicèt existentiam & indolem analysis

Chymica seorsim demonstraverit, ea expostulatur energia, quâ iidem semper effectus vel minimam humoris quantitatem subsequantur. Hæc prima data qualitas cæteris affatim opitulatur conditionibus, cùm usus rei cujuslibet ab ejusdem principiis essentialitèr & determinatè pendeat. Eâ tamen lege volumus & intelligimus humorum principem ad majores usus habiliorem esse, pluribusque functionibus inservire, ut per se, non verò mutatus & alienâ indutus pelle, solitum pensum absolvat & perficiat. Sic conditiones priùs assignatæ sanguini v. g. non congruent, cùm propriam deponat formam, dùm in multiplices alios abit humores, qui uni duntaxat operi, ut semen generationi, &c. dicantur. Unica verò bilis, mirandis refertissima dotibus, requisitis conditionibus facilè respondens, in humorum principem meritò promovebitur, quascumque discutiet putredinis causas, corporique robur cum incolumitate largietur.

I V.

ALLUCINANTUR profectò qui putidum liquamen in alvi fluxu vel purgantium medicamentorum vi sepositum bilis nomine insigniunt. Bilem in hepate secretam, ab ipsomet suo in duodenum lapsu, fidelissimo tentatam examine veriùs intelligant humorem recrementitium, unctuosum, consistentem, inflammabilem, colore flavo & amaricante sapore summè præditum, ex particulis oleosis, terreis, aqueis, salinis, volatilibus coalescentem: undè bilis à quibusdam *smegma naturale* nuncupata fuit. Hæc tamen saponem inter & bilem differentia est, quòd alkali fixum sapo vulgaris, volatile verò bilis admittat. Ex eodem alkalino sale volatili suam bilis mutuatur mobilitatem & energiam quam facilè demonstrat sapor adeò intensè amarus, ut unica bilis guttula in aquæ unciam immissa suam spargat amaritiem. Quantùm autem essentialis bili sit hæc amarities, inconcussè probatur. Quò enim firmiori valetudine potitur animal, eò amariorem ei bilem esse docet HALLERUS. Deducant igitur alii ex spiritibus animalibus, vel ex ipso latice purpureo præsentem illum stimulum, quo languentes jugitèr renovantur fibrarum oscillationes, cunctantiumque fluidorum motui calcar additur, huic amaricanti bilis inesse principio persuasissimum habemus. Ob eumdem etiam amarorem qui pullulantium in intestinis vermium fœturam suffocat & extinguit, qui amaricantibus analogis, aloë præsertim simplicium amarissimo, condiendisque cadaveribus admodùm proficuo reparatur, nonne bilis ad *corporis balsamum* jamjam accederet? Majus verò probationis argumentum ab ipsâ chylosi desumemus, cui bilem potissimùm inservire cunctis innotescit. Ablegatâ quâvis Chymicâ explicatione, purior chy-

lus, bilis beneficio à fæcibus liber, ſaponaceo ſucco refertus & quaſi conditus faciliùs ſanguinem ſubit. Hæc chyli aſſecla bilis portio undique diſperſa & in extremis uſque vaſorum capillarium finibus ſaponaceam virtutem retinens; diverſiſſima quæque permiſcet, oleoſa reddit aquæ miſcibilia, craſſiores, heterogeneas attenuat moleculas, dividit, ſcindit, præcipitat, ſegregat, ſicque ſecretiones & excretiones promovendo ad ſubtiliorem ſanguinis fluiditatem plurimùm confert. Vigente autem progreſſivo, inteſtinoque fluidorum motu, putredinis motui eſſentialitèr adverſante, molecularum ſeriem jugitèr renovante, nonne corruptionem à corpore alienam agnoſcemus? Nonne ſimul corporis robur & incolumitas paritèr vigebunt, cùm imprimis excrementitiæ partes ad putredinem magis pronæ per debita citiùs eliminentur organa? Quid plura? Saponaceam & abſterſivam virtutem ſalivæ, ſucco gaſtrico, pancreatico ſucco bilis etiam communicat. Nonne & ipſi ſanguini *coccineitatem* tribueret per ſulphureas & lixivioſo-ſalinas partes, cum ex mixturâ ſulphuris & ſale aut oleo tartari rubicundam efformemus tincturam? Nonne in morbis decoloribus, cachexiâ, chloroſi, in virginibus viro nondùm maturis albâ febre laborantibus, ideò rutilantiorem cum pallido habitum commutaſſe ſanguinem concludere liceret, quòd bilis energiâ & defectu peccet, ut experientiâ & obſervatione manifeſtè conſtat? Quamcumque verò hypotheſim reluctantèr aſpicientes, ſuperiùs allatis ſat probaſſe confidimus humorum principatu digniſſimam eſſe bilem. Quis igitur humor de *corporis balſami* dignitate cum bile dimicaret?

V.

NEC nobis bilem *balſamum* licèt proclamantibus eſt ignotum, quales in corpore ſtrages agendi vim habeat a nativâ genuinâque virtute deflexa & degener. Quò majoris enim in ſtatu ſano fuit uſûs, eò ſæviores morboſa bilis producet effectus. *Optimi corruptio peſſima.* At cum cæteris humoribus hanc communem habere criminationem quis negaret? Nonne ipſamet utiliſſima lympha, v. g. ut quoſque corporis humores ſigillatim non diſpungamus, graviſſimis ægritudinibus natales præbet? Nonne molliores partes indurat, duriores emollit? Nonne vitiatæ lymphæ moleſtiſſima ſoboles arthritis, rheumatiſmus, rachitis, atrophia, ſchirrus, carcinoma, ſtrumæ, &c? Nullum certè morbum adeò infenſum, adeò pervicacem inducit bilis, quidquid dixerint detrectatores. Quos etiam pauciores procreat, ii pede celeriori ſtadia decurrentes, cùm faciliores morboſæ bili pateant exitus, citiùs judicantur. Quin imò plures, pejoreſque à bilis defectu potiùs, quàm ab ipsâ bile

dantur ægritudines, & ut peritissimè scripsit FERNELIUS, *non pauci è vivis erepti sunt, in quibus non alia interitûs causa apparuit, quam quòd folliculus bile omninò esset exhaustus.* Mirari licet, instant alii, si bilis *balsamum* sit sanguinem conservans, ne putrescat, cùm ipsa bilis putredini propior sit, quàm sanguis. At utrâque in aere libero stagnante substantiâ, quid contrà nos, si decompositionem sanguine citiùs bilis passa fuerit? Quanta sit differentia liquorem inter in fictili vase aeri expositum & eumdem perenni circulo motum, propriisque vasis inclusum, vel levitèr attendenti sufficientèr patet. Si è contrà bilem dicant sanguine putredini propiorem, etiam in corpore per itus & reditus exagitatam; levissimâ manu objectionem evertemus, cùm nulla bili debeantur symptomata, quæ tantulùm accedant ad purpuram, gangrænam, sphacelum totidem solius sanguinis effectus infestissimos. Cæterùm de statu sano duntaxat sermo fuit, bilisque sanæ encomium celebrantes, hìc addere juvat biliosos esse ingeniosiores, & ex præmissis hæc erit nostra conclusio.

Ergò corporis balsamum, Bilis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Clau[illegible] Franciscus GRAND-CL[illegible], *Eques, Stanislai I. Polon[illegible]m Regis, Lotharingiæ & Barri D[illegible]is Consiliarius Medi[illegible] & Regiarum Exercituum à Co[illegible] Medicis.*	*M. Ludovicus-Alexander* GERVAISE.	*M. Joannes-Jacobus* BELLETESTE, *saluberrimæ Facultatis Decanus.*
[illegible] *Franciscus-Clemens* M[illegible]ND, *Eques, è Regiâ Sc[illegible]m Academiâ Parisiensi, Regii Medicorum Nanceianorum Collegii Socius honorarius, necnon in Regiâ Invalidorum domo coadjutor Medici renunciatus.*	*M. Ambrosius* HOSTY.	*M. Michael-Philippus* BOUVART, *Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis Socius.*
M. Martinus NOUGUEZ.	*M. Joannes* MAC-MAHON, *Antiquus Exercituum Regis & Nosocomiorum Militarium Medicus, Regiæ Scholæ Militaris Medicus ordinarius.*	*M. Michael-Josephus* MAJAULT, *Antiquus Regis Exercituum in Germaniâ Medicus.*

Proponebat Parisiis LUDOVICUS-ALEXANDER CEZAN, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1764. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis F. A. QUILLAU, Universit. & Facult. Med. Typographi, 1764.